



I. N. J.

INDULGE MARCHIA,

UT

PYRAMIDES inter & COLUMNAS,

V I R O

Inter Magnos verè Maximo,

Illustrissimo ac Excellentissimo Domino,

DOM. PAULO

à FUCHS,

Indulgentissimi, ac Augustissimi

MARCHIONIS tui,

Status intimi Consiliario non extimo,

Feudi & Ecclesiarum Regendarum Directori rectissimo,

*Postquam Principis sui negotia per Prusiam
absolvisset rectissime,*

BEROLINUM REDUCI,

à Te erectas,

Liceat & exuli, è terra sua,

quanquam jam non suà

Minimum acervum advolvere,

Incultum licet; talem decet exulis esse.



Colonia Brandenburgica,

Imprimebat ULRICUS LIEBPERTUS, Electoral. Typographus.

30

*Mus. Klöcher
Joh. Ludwig*



Liceat Christiano
Cæleste quia Christianum
Sydus adorare,
Quod ita terris miscetur, ut extra chaos sit,
ita in Auge est, ut Cancrum non noscat,
Vidi Te nuper
Solis Brandenburgiaci vicarium Sydus
Illustrissime Domine.
Ita oris Prutenicis admixtum,
ut simul
Maximi Atlantis Tui humerum iisdem submitteres,
ac eadem absentis Solis sui radiis illustrares.
Felicem Montem-Regium!
verè Regium quia Brandenburgiacum;
quem
Serenissimi ac Potentissimi Principis sui
Electoris
& Os, & Brachium, utrâque suffulsi palmâ
Politicum polum ac Ecclesiæ firmavit firmamentum.
Vel è Calamis Calathos plecte
Musâ,
Non auratarum urbium
sed aureis flosculis pictæ Pregelæ non incola sed accola.
Inviolatas redeuntis Solis Filias vel ad Spream
lege violas.
Summi

Summi Brennonum Tonantis Laureata Ales

An Aquila?

An Columba?

Pacis Laurum Prusfiæ deportavit;

ita tamen

ut reportet;

Coronanda est.

Statuas Tibi statuant ii

quos Inconstantia Fortunæ

in Constantiori felicitatis gradu constituit.

Et hoc

Equestres Æquitatis Antistiti.

At ne statuant.

Vivus Tu ipse Vivi Vitamque dantis

Solis Coloffus es

Deorum statua est vir bonus & constans. (a)

Constantior fama factis quam fictis consistit statuis,

Præstat Agesilaum proborum virorum pectoribus

quam improbo insculpi marmori. (b)

Unde

non improbè & nunc probi

verentur Socrates,

ne

dum Lapidem quam simillimi redduntur hominibus, (c)

homines Lapidibus similiore

videantur & sint.

Columnas Tibi posuerim

quanquam Literarias,

(Incolumitatis enim Literariæ

Columnen & Columna es.)

Haut tamen Herculeas,

ne forte

Non plus ultra.

Quamvis tot exantlatis Herculeis laboribus

eo progressus sis,

ut

(a) Laerti, lib. 6. (b) Plutarchus in Apopht. (c) Erasmus, lib. 3. Apopht.

ut non habeas
quo
Plus ultra.

Ad conspectum Illustrissimi Colossi hujus
qui vel, Solem suum absentem in alias
sine radorum damno de portat oras
vel præsentem non vanâ pingit in Irîde;
suorum suffusa rubore laterum
expallescit Memphis,
jacet in glôria gloriæ suæ
Sepulchris obruta
quæ gloriæ immortalitatem è mortuorum
sepulchris quæsierât.

Tu

Illustrissime Domine,

Viva Vivi SOLIS Tui statua

Firmissima interris Astrææ basis

non Memnonium truncum.

(Nolo etenim mutas inter stare statuas)
sed vivum

Victuræ æternum Gloriæ Tuæ Mausoleum
me ipsum dico

minimum pedibus Tuis aduolutum acervum
ne conculcato;

Neve imperfectum opus relinquatur.

Tu ipse

Epigraphen adjicito.

Posuit

JOHANNES LUDOVICUS KLÖHERUS,
Pro Evangelio exul. Ao. M DC XCV.



